DE

PLASTICA NATURÆ VITA

(PLASTICK LIFE OF NATURE)

QUÆ A CUDWORTHO

IN SYSTEMATE INTELLECTUALI CELEBRATUR,

FACULTATI PARISIENSI

HANC THESIM PROPONEBAT

PAUL JANET,

JAM LICENTIATUS, NORMALIS SCHOLÆ OLIM ALUMNUS.

PARIS.

JOUBERT, LIBRAIRE-ÉDITEUR.

RUE DES GRÈS, 14, PRÈS DE LA SORBONNE.

—

1848.

DE

PLASTICA NATURÆ VITA

(PLASTICK LIFE OF NATURE)

QUÆ A CUDWORTHO

IN SYSTEMATE INTELLECTUALI CELEBRATUR.

PARISIIS. — EX TYPIS E. THUNOT ET Ce,
28, via Racine.

DE

PLASTICA NATURÆ VITA

(PLASTICK LIFE OF NATURE)

QUÆ A CUDWORTHO

IN SYSTEMATE INTELLECTUALI CELEBRATUR,

FACULTATI PARISIENSI

HANC THESIM PROPONEBAT

PAUL JANET,

JAM LICENTIATUS, NORMALIS SCHOLÆ OLIM ALUMNUS.

PARIS.

JOUBERT, LIBRAIRE-ÉDITEUR,

RUE DES GRÈS, 14, PRÈS DE LA SORBONNE.

—

1848.

DE

PLASTICA NATURÆ VITA

(PLASTICK LIFE OF NATUR)

QUÆ A CUDWORTHO

IN SYSTEMATE INTELLECTUALI CELEBRATUR.

§ I. *Cudworthi de atomistica doctrina sententia.*

Si totam Cudworthi disciplinam, dignam quidem quæ a philosophis attente consideretur, paucioribus tamen apertam meditaremus penitus indagari, haud dubio propositum illud, quum vires nostras, tum hujuscemodi dissertationis modum excederet. Nam, quum omnes fere partes philosophiæ Cudworthus tractaverit, neque ulla sit ex iis quæ maximi habentur momenti quæstionibus, de qua non prolixe et ingeniose disseruerit, quum in libro suo tam copiose, tam subtiliter in atheos disputaverit, ut nullum fuerit opus in his temporibus accuratius de Deo scriptum, nisi Leibnitzii Theodicen excipias, nimiam hanc operis molem ferre non valemus. Quod si quis illa omnia de philosophia a Cudwortho scripta et omnes præsertim illius de theologia opiniones propius, quam antea factum est, perscrutari affectaverit, hunc profecto dicam gravissimum opus et fere intactum ingressurum. Mihi vero quum hæc majora sint quam

ut in ista dissertatione vel leviter tacta percurram, satis erit si de opere tanto quæstiunculam unam detractam pro viribus meis agitem, et neglectam ita viam audacioribus monstrem.

Legitur scilicet apud Cudworthum dissertatio quædam, quæ de generatione rerum naturalium tractat; de vita naturæ plastica inscribitur (2): quæ quidem quæstio, quum inter philosophos tum maxime agitaretur, præcipuam nomini auctoris laudem attulit. Cudworthus enim, etsi parum opera ejus trita sint, celebritatem tamen *mediatoris* nescio cujus *plastici* doc-

---

(1) Quum duplex sit apud Cudworthum quæstio, una quæ præcipue ad philosophiam, altera quæ ad theologiam spectat, theologicam quæstionem in dissertatione nostra omittimus. Cudworthus cæterique qui cantabrigenses theologi dicuntur (Henricus Morus, Theophilus Galeus, Thomas Burnetus) ut Platoni ardentissime in philosophia addicti, ita in theologia *latitudinariis* favisse habentur. De illis hæc in Gilberto Burneto (*History of our time*, l. II) reperimus.

« Hi omnes, et qui ab illis instituti erant, id primum agebant unice, ut accuratius quam adhuc factum erat, in naturam rerum inquirerent. Resistebant eæ altera parte superstitioni, ex altera enthusiasmo. Formam imperii ecclesiastici et normam cultus publici lege præscriptam amabant, libenterque his institutis se subjiciebant : at nec impium esse ducebant alias rationes sequi; exoptabant majori ut omnia moderatione gesta et tractata (inter partes his de rebus dissidentes) fuissent. Non deridebant amicitiam cum illis colere, quibuscum cæteroquin de variis rebus dissidebant, magnamque suis tam in theologia quam philosophia libertatem concedebant : hanc propter causam viri latitudinis seu *latitudinarii* appellabantur ab iis qui angustioribus erant animis minus que temperatis ingeniis. Assidue legebant Episcopium. Quumque in eam potissimum curam incumberent, et rerum omnium explorarent causas et rationes, ideo ab adversariis *sociniani* vocabantur. Pontificis romani dominationi vehementer obsistebant. Quare ipsimet pontificii eos atheos, deistos et socinianos nominabant (a Moshemio latine translata). »

De Cudworthi theologicis opinionibus diutius quam ut in hac nota liceret immoraremur. Qua quidem temperatissimæ, fuere, nam, ut Burnetus ait, Cudworthus erat vir multa artis prudentia; ideoque sui cum inimici falso versutiæ et dissimulationis in simulabant » (*ib.*, t. I).

trina adeptus est ; quæ, si referentibus illam creditur, in hoc maxime constat ut, ad corporis et animi commercia explicanda, vinculum quoddam tibi animo fingas corporeum quidem una et spirituale, quo duæ nostri partes inter se conjungantur (1). Quum vero nullum sit istius entis in Cudwortho vestigium, et ipsum *mediatoris* nomen frustra ab inquirente desideretur, quæ sit istius de vita plastica doctrinæ vera vis, qua pateat, quid cum reliquis ætatis ejusdem doctrinis commune habeat, in hoc libello, quantum licebit, examinare proposuimus.

Quum vero hujus plasticæ vitæ doctrina ad creatarum rerum essentiam maxime attineat, non prius de vita plastica illa tractandum puto, quam Cudworthum de natura corporum et de essentia materiæ quid senserit, interrogaverim.

In his temporibus duplex inter philosophos vigebat de materiæ et corporum natura opinio. Alii enim peripatetici et scholastici dicti, corpora duobus elementis composita esse docebant, ab Aristotelica physica usurpatis, materia nempe atque forma ; quarum prior indefinita quædam habebatur potentia, mera quidem et nuda, ad omnes tamen qualitates apta ; forma vero cujusque rei propria constitutio, quæ singula a singulis separet, et, materiæ adhibita, unamquamque rem esse faciat. Alii vero simpliciore et lucidiore ratione usi, illa prorsus principia vaga et obscura esse aiebant, nihil materia, nihil forma aperte significari, vacuas mentis conceptiones esse quibus non corpora explicari possent ; corpus nihil aliud esse nisi *rem*

(1) Vid. Laromiguière, t. II, 9ᵉ leçon.

extensam, partibus compositam, quæ tantum motu, situ, figura diversæ sint, et unde omnis evadat earum quibus circumvenimur rerum diversitas. Quæ doctrina Epicureorum tum recens a Cartesio et Gassendo renovata fuerat.

Cudworthi librum vel leviter legenti, satis constat peripateticæ eum doctrinæ non favisse, at recentiorem illam de compositione corporum sententiam fuisse amplexum. Quibus autem rationibus ad atomisticæ philosophiæ partes defendendas impulsus fuerit, nunc primum dicendum est.

Opus Cudworthi totum adversus atheos scriptum fuisse jam diximus. In quo, quum atheorum principia quæ sint attente inquirat et indagetur, duplex præcipue esse eorum genus asseverat (1). Est enim vulgo inter physicos disputatio, utrum materiæ insit vita aliqua, atque interior movendi vis, an quam vocamus vitam nihil aliud sit quam nescio quæ corpusculorum compositio. De qua quidem quæstione ut inter Dei fautores, ita inter inimicos disputatur. Alii enim, ut verbis sæpe a Leibnitzio aut Cudwortho usurpatis utar, *mecanice*, alii *dynamice* naturam rerum explicant. Nam, aut quæcumque sunt, omnia, corporum et formas et figuras, mirum illum orbis ordinem et concentum, vitam, sensum cogitationem ab atomorum motu, concursu, situ, figura existere affirmant; aut hæc eadem omnia a principio viventi, seu a materia pendeat, seu ab ea segregatum sit: illi sunt Democritici, hi autem Stra-

(1) In quatuor quidem genera Cudworthus atheos separat, quæ quidem explicare hic supervacuneum est: sed quatuor illa genera in duo redigenda putat. L. I, c. III, n° 33.

tonici. Quæ quidem principia quorum unum ad atomos, alterum ad naturam viventem spectat, quum præcipue fuerint atheorum, non tamen hanc vim necessariam habent, ut unumquemque, dummodo eis assentiat, ad Dei negationem inducant. Imo his præcipue argumentis Cudworthus innixus est ut Deum probaret. Democritus igitur et Stratonici in eo peccavere quod principiis duobus acceptis, consequentia, quæ fuerint, non intellexerint, ita u', sublato Deo, omnia posse explicari censuerint.

De naturæ vita ulterius, nunc de atomis. Principia et vices philosophiæ corpuscularis exponamus (1).

Qui, hanc philosophiam amplexi sunt, corpus omne molem extensam definiunt; nihilque corporibus concedunt, nisi quod ab ea definitione pendeat. Quod quidem magnitudinem, figuram, situm, motum attinet, nihil dubium; quæ vero definitioni magis repugnare videntur, ut odor, color, frigus, et quæ qualitates secundæ appellantur facile adhuc ad eamdem redigunt. Quidquid enim objicitur sensibus non nobis qualitate quadam manifestum esse contendunt, sed varia corpusculorum compositione. Quod quidem rationi accommodatius esse videtur. Quid sibi enim volunt virtutes illæ a scholasticis celebratæ? Quid formæ illæ substantiales? Quid accidentales qualitates? Quid aliud quam verba et voces?

Ea vero physicæ ratio, quam recens ab oblivione Cartesius vindicavit, multo antiquior est, ac vulgo putatur. Nam hæc in Strabone legimus (2). « Si

(1) L. I, c. I.
(2) *Geographia*, c. XVI.

Posidonio credendum, dogma de atomis antiquum est hominis Sidonii Moschi, qui ante belli Trojani tempora fuit ». Sextus Empiricus (1) postquam Democritum et Epicurum atomos invenisse dixerat, hæc subjicit, « nisi hæc opinio putanda sit antiquior, et, ut stoicus dicit Posidonius, deducta a Moscho quodam phœnice. » Moschus ille, si Cudworthum sequimur, idem foret ac Mochus, de quo loquitur Jamblichus in vita Pythagoræ, cujus discipulus Pythagoras fertur Sidone coluisse, et placita in suam philosophiam transtulisse. Nam Pythagoras eamdem de atomis doctrinam fovisse refertur ab Ecphanto Pythagoreo, monades magistri dicente easdem esse ac corpuscula aut atomas, τὰς πυθαγορικὰς μοναδὰς οὗτος πρῶτος ἀπεφήσατο σωματικας. Aristoteles refert Pythagoram monadibus quamdam magnitudinem attribuisse τὰς μοναδὰς ὑπολαμϐάνειν ἔχεις μεγεθος, et in Auscultationibus physicis: nihil refert utrum monadas an atomos dicas, οὐδὲν διαφέρειν μοναδὰς λέγειν ἢ σώματα μικρά. Post Pythagoram, Empedocles physicam atomisticam professus est, qui docuisse dicitur rerum generationem et corruptionem nihil aliud esse ac concretionem ac secretionem σύγκρισιν καὶ διάκρισιν. Eadem sentiebant Anaxagoras et Anaximander, et multi alii qui tum in philosophia floruere.

Leucippus quidem, fateor, et Democritus atomistici dogmatis inventores vulgo habentur. Cujus autem opinionis causa est, quod principes contenderunt universam philosophiam hoc dogmato uno contineri, Moschi et Pythagoræ præceptorum profecto immemores,

---

(1) C. IX adv. Math.

qui philosophiam in duas partes separabant, physicam quidem atomistico modo tractatam, theologiam vero quæ substantiarum incorporearum existentia inniteretur. Imo ab ipsis suæ doctrinæ veris principiis aberrabant.

Veteres enim philosophi qui doctrinæ atomisticæ faverant, Pythagoras, Anaxagoras, quibus nescio an fuerit aliquis inter antiquos religiosior, duplex esse substantiarum genus confessi erant. Quod quidem, si eorum principia propius introspicias, clarius patebit :

1° Philosophia corpuscularis cum nihil corpori concedat, nisi quod contineatur in notione extensionis, soliditatem scilicet, figuram et motum, ideo quidquid ab extensione alienum est, vitam, sensum, cogitationem a corpore amoveat, dummodo sibi constet, necesse est ; quodquidem satis demonstrat substratum aliud existere, cui inhæreant istæ a materia secretæ qualitates.

2° Quum eadem doctrina nullum in corpore motum effici fateatur, quem non communicarit externus motor, neque vel se ipsum, vel alias res movendi facultas in corporis notione, id est extensione, contineatur, necessario sequitur aliquid existere ac corpora.

3° Istas quæ corporibus accidunt vices *mecanice* a corpusculari doctrina explicantur : quod quidem fieri nequit nisi animo insit, notio quædam ab eo ipso *mecanismo* discrepans. Notio vero non est corporis modus. Hanc igitur necesse est modum esse cujusdam alius naturæ.

4° Manifeste confitendum est hos, quibus afficimur, sensus animo soli, non autem corporibus inesse : nihil

enim in corporibus reperitur, quod sensibus nostris simile dici possit. Animum esse aliquid, illud etiam demonstrat.

Constat igitur, philosophiæ corpuscularis hanc vim duplicem esse :

1° Ut corporum naturam clare et perspicue, absque formarum substantialium auxilio, detegat et explicet.

2° Ut naturam corporis clare definiendo, eam ab animi natura omnino separet, et mentis necessitatem demonstret.

Nunc vero ut ultra progrediamur, principium quoddam intueamur necesse est quo magna pars Cudworthi philosophiæ nititur. Quo quidem, sæpius ab antiquis usurpato, plerique atheorum in creationem, imo in Deum abusi sunt, quamvis, dummodo bene intelligeretur, haud mediocre Dei defensoribus auxilium afferret : *De nihilo nihil.* Quæ vera sit, quæ falsa autem hujus principii interpretatio dignoscendum est.

Hæc est atheorum : Nihil existendi initium habere dicunt, quin antea jam quodammodo fuerit, aut a materia aliqua jam existente emergat. Quemadmodum ars humana quidlibet opus machinari nequit, nisi ex elementis hinc atque hinc depromptis, haud aliter natura ipsa operatur ; rerum enim jam existentium formas tantum transmutat, hæc diruit, illa ædificat, neque quidquam prorsus novum, existentiæ antea omnino expers, a nihilo, ut aiunt, elicit. Inde constat neque mundum creatum fuisse, neque creatorem ullum existere, aut si existat, inutilem et inertem habendum esse.

Hanc interpretationem a vero abhorrere illud demonstrabit, quod, si vera esset, nulla, ne istorum quidem, qui sic interpretantur, doctrina salva et integra permaneret. His enim positis, neque motus, neque generatio, neque ipsa corruptio explicari possent. Nihil enim aut movetur, aut generatur, aut corrumpitur, quin aliquid aut e nihilo exeat, aut in nihilum redeat. Tum omnia immota, immutabilia esse ut inter veteres argumentati sunt Parmenides et Zeno Eleates, fateamur necesse est. At nemo est, qui non proprio motu in semet ipso novas cogitationes, nova consilia continuo excitet, aut novos agitet membrorum motus. Objicientibus ista illi respondent qualitates quidem novas e nihilo emergere posse, substantias autem novas non posse. At, quæso, quid mirabilius si substantiæ emerserint, quam si modi substantiarum? Hoc principium, haud dubio, falso interpretantur : nam intelligunt de *materia*, quod verum est solummodo de *causa*, et exemplum ab arte humana sumunt, cui semper materia opus est, unde omnia efficiat. Inde argumentantur nullam virtutem, nullam vim, quæcumque sit, esse, aut gignere posse nisi ex elementis undecumque collectis; et quam imbecillæ nostræ naturæ providentia recusavit, eamdem creandi facultatem, entis cujuslibet, quæcumque sit natura ejus et perfectio, esse negant: nullum vero quod valeat, argumentum proferunt. Namquum clare et distincte concipimus aliquid esse posse quod non per se existat, quid obstet quin concipiamus per aliam quamdam naturam illud existere, a qua initium existendi ceperit?

Non autem nostrum est quidquid absurdi ab atheo-

rum sententia deduci queat, evolvere; quid autem illud, *de nihilo nihil* ad causam Dei afferre possit, requiramus.

Quum Democriti discipuli formas substantiales et qualitates occultas a notione materiæ auferant, ob eam rem, si sibi consentanei velint esse, et vitam et sensum et cogitationem in materia esse, negare eos debere jam vidimus. Nullo enim modo extensionis idea cogitationem continere, neque motu materiæ mecanico mens explicari potest. Non ita tamen ut cogitationem et extensionem per se existere affirmemus, sed tantum substantiis inhærere diversis et omnino inter se discrepantibus.

Hæ autem substantiæ, quæ vita et cogitatione fruuntur, causam quamdam habeant necesse est, quum nihil a nihilo existat. Quæ causa non materia ipsa esse potest: nam rationi adversum videtur effectum quemlibet causa sua esse præstantiorem. Materia autem est cogitatione inferior; non igitur cogitationis causa esse potest. Inde sequitur causam quamdam existere, absque materia, vitæ et cogitationis creatricem.

Philosophi quidam, quum materiam putent esse rerum *potentialitatem*, quæ quidem est æterna, æternitatem et necessitatem inde merito materiæ adhibuerunt. Alii vero quum eamdem nihil aliud esse quam spatium, spatium autem nihil aliud quam immensitatem, affirment, materiam infinitam esse docuerunt.

At si materia rerum potentialitas definitur, quid est quam abstractum aliquid notione tantum, non revera existens? Si vero spatium et immensitas, quid est immensitas, nisi entis cujusdam infiniti attributum, videlicet Deo? Quod si spatium intelligitur corpo-

rum intervallum, quod sine fine crescere potest, non tamen vere et reipsa infinitum merito dicitur ; spatium enim, priusquam corpora formarentur, nihil aliud erat quam vacuum, aut si proprie loquamur, nihil omnino erat.

Inde sequitur materiam non æternam aut necessariam esse, æternitatem vero et necessitatem unius substantiæ esse, nempe ipsius Dei.

Præterea si Deus nihil est, unde infinitatis hujus oriretur idea? Imo unde rerum externarum notio? Nam corpora corpus nostrum motu tantum corporeo tangunt, cui affectioni nihil simile est cum formatione cogitationis. Sed rerum ideæ aut essentiæ aut relationes id est, veritates, æternæ sunt et immutabiles, ideoque ab ente æterno atque immutabili originem ducant necesse est.

Præterea alia existere in *actu*, alia esse *potentialiter* concipimus. Essentiæ autem rerum *possibilium* non alibi residere possunt quam in mente infinita, omnia, quæ fieri possunt, continente. Hæc intelligentia est, ut ait Cudworthus, *originalis mens*, unde participes sumus.

Scilicet hæc sententia, de nihilo nihil, Dei et mentis causæ mirum in modum favet, nedum, ut vulgo putatur, ei adversetur.

Constat igitur philosophiam corpuscularem quæ vulgo videtur atheismo auxiliari, atheismum contra, si recte et logice intelligas, deturbare.

Nunc autem videamus an non item sit de doctrina illa quæ vitam aliquam materiæ præstet, ita ut dogmata duo illa, quibus athei inniti solent, præcipuum fiant Dei defensoribus munimentum.

Sed, ne quis miretur, quod Cudworthus, quanquam atomisticæ disciplinæ sectator, Stratonicorum et Stoicorum more, naturæ tamen vitam defenderit, quibus rationibus cartesianæ doctrinæ non sese totum dederit breviter exponemus, unde facilius dubitatio omnis evanescet.

§ II. *Quid reprehenderit in Cartesio Cudworthus.*

Nunc quærendum est nobis quid de illa, quæ tum maxime floruit philosophia Cudworthus senserit; cujus impetu quidem omnes illi circumrapiebantur quicumque eo tempore in philosophia versabantur. Cudworthus scilicet extra Cartesii doctrinam omnino sese continuerit? Hanc ne probaverit an improbaverit? Quid denique Cartesii inter et Cudworthi doctrinam intersit?

Cudworthus si ad Cartesium conferas, talis fere videtur ille esse, qualis fuit paulo postea Leibnitzius, nisi, quid utriusque ingenio peculiare sit excipias. Uterque enim, quamvis Cartesio impugnet, persæpe vestigiis ejus insistit. Quos tamen nimium ne assimilemus cavendum est. Leibnitzius enim ante omnia Cartesii sectator est : quippe qui recentioris philosophiæ rationi omnino studeat, et ad nova progrediatur. Cudworthus autem is est qui ad Platonis et Alexandrinorum scholam pertinet, et quem XVI fere quemdam sæculi philosophum dixeris.

Quid Cartesium inter et Cudworthum commune, non hic requirere locus. Quem enim si perleges, eadem reperias uti dialectices ratione, ac ipsi Cartesii disci-

puli, idem veritatis criterium proponere (1), iisdem argumentis inniti quibus Deum et Animam tueatur (2), denique, ut jam novimus, mecanicæ de corporum natura eidem rationi adhærere et a formis substantialibus pariter ardentissime abscedere (3).

Sed, quamvis similitudinibus istis, Cudworthus inter eos qui Cartesianis præceptis obtemperarunt, merito numeretur, plerumque tamen in Cartesii doctrinam invehitur, ita ut librum ejus non tamen Hobbesium quam in Cartesium scriptum esse dicas.

In duo quædam præcipue invehitur Cudworthus : doctrinam nempe de veritatibus æternis, et, quod maxime nostrum interest, de generatione et natura rerum viventium doctrinam.

In illud autem prius, de quo cæterum multa pluribus in locis *Systematis intellectualis* scripsit, præcipue invehitur in libro de *æternis justi et honesti notionibus*. Ille liber hujus præsertim causa scribitur, ut quæ sit moralium notionum absoluta natura demonstret. Quæ quidem demonstratio absolutas universe veritates esse subjicit, et duabus philosophorum opinionibus adversatur, et eorum qui Protagoræ et Hobbesio consentientes, eas ad rationes fugitivas et instabiles redigunt, quæ ut percipiuntur sensibus, perpetue fluunt et variantur, et eorum qui easdem a Dei arbitrio pendere contendunt, ut apud Scotum et Cartesium videas. Contendit contra noster nullo admodum ab arbitrio, neque casu pendere veritates, neque lege, sorte, sensu, aut libera voluntate

(1) *De æternis justi et honesti notionibus*, c. V, § 8, p. 80.
(2) *Syst. intell.*, l. 1, c. V.
(3) *Ib.*, préface.

existere, sed lege naturæ in se et per se existere, et substantiæ inesse cuidam, quippe quæ *ens absolutum* sit. Inde igitur Platonis omnino sectator esse videtur.

Alteram autem partem(1), utpote subtilem maxime, paulo attentius tractemus necesse est; in qua præcipuam Cudworthi virtutem admireris, ingenii nempe sagacitatem, ut opinor.

Ea autem quæ de rebus creatis Cartesius docet, simplicissima sunt : qui quidem res in duas dividit partes, unam earum quæ extensionem tantum habent, alteram earum quæ ratione utantur. Ratio autem et extensio sibi invicem repugnant, quum neque cogitatio extensione, neque extensio cogitatione contineatur. Alteram enim, omissa altera, cogitare licet. Quod quidem satis, ut Cartesio videtur, demonstrat singulas distinctis omnino substantiis inhærere. In ea autem doctrina illud laudandum est quod animum certius quam antea a corpore sejungat. Quum animum nihil aliud quam rationem esse, neque corpus aliud quam extensionem, et nihil medium inter ea admittendum contendat, in illud inclinat ut vitam ipsam aliquem tantum spatii modum esse statuat, animalia vero machinas; ita ut non longe absit ab eorum opinione qui hominem ipsum tanquam machinam habeant, et cogitationem, quæ est modus vitæ ad extensionem et mixtiones materiæ ipsam redigunt : quod profecto quidem si præsentisset, Cartesius vehementissime respuisset.

In id autem quod in duplex omnino genus ea quæ existunt, dividantur, nec quidquam medium patien-

---

(1) V. *Digress. conc. the plastick life of natur*, 33, et c. V, sect. I, § 25.

dum sit, vehementer invehitur philosophus noster. Unamquamque enim mentis vim ad solam cogitandi vim redigere absurdum opinatur, præsertim quum cogitare definiatur quidlibet clare et distincte percipere: « Principio ipsum illud philosophorum genus (inquit, ut jam Lockium adversus idæas innatas prælientem audire putes) quod naturam animæ in cogitatione, cogitationis vero indolem in clara et explicata rerum perceptione positam esse arbitratur, nihil habet, quo doceat, animas hominum somno altiori, lethargia aut apoplexia oppressorum, aut infantum in utero latentium sine ulla intermissione non modo cogitare, sed etiam percipere semper ac sentire, sese cogitare. Atqui mentes hæ si uno tantum cogitare desinant momento, nihil statim sint et esse desinant, ex horum philosophorum legibus et institutis necesse est (1). « Tanquam si videlicet sive in hominibus, sive in animalibus, sive in natura, vitale aliquid et sua sponte agens non inesset, quod sine conscientia, sine cogitatione moveatur. Ne ibi de plantarum vita et animalium affectibus agatur, quæ iidem non nisi quibusdam motibus, et quibusdam momentis machinarum mere intelligi posse contendunt, in hominibus solis nonne manifestum est vim aliquam inesse, conscientiæ plane expertem! Quod quidem ad probandum eos motus ex consuetudine effectos indicemus, eamque interiorem et tacitam agendi vim quæ vel insciis nobis existit, qualis illa est quæ facit ut cogitemus, membra moveamus, atque vel in somno sententias et affectus varios ad mentem nobis revocemus, quæ vulgo in vita esse soleant.

(1) *The intellectual system*, I, chap. III, XXXVII, 17.

De his autem quæ ad naturam spectant, licet Cudworthus cum Cartesio idem sentiat de corporum essentia quam ad extensionem reducebat, non tamen omnia in natura rerum ex quodam machinarum motu intelligi posse censebat. Quam multa enim in corporis structura machinarum ope non interpretaberis, qualis est respiratio, et diaphragmatis alterni motus cæterorumque nervorum quorum ope respiramus cordisque fit contractio, pondus rerum et ea vis qua omnia ad terræ medium attrahuntur, etc. ! (1)

---

(1) De his, quæ nunc a Cudwortho asseruntur, scilicet multa non machinarum momenti et ponderibus explicari, vide Henrici Mori, Cudworthi familiaris, *Enchiridion* et illustris Harvæi non satis notum de *Generatione animalium* opus, a quo hunc locum nostræ rei mire convenientem decerpsimus :

« Communis eorum error est, qui hodie philosophantur, quærere varietatis partium causas, ex diversa materia, unde oriuntur. Ita medici varias corporis partes, ex diversa materie, vel sanguinis vel spermatis, gigni et enutriri asserunt : nempe ex tenuiore, partes molles, ut carnem, ex duriore et crassiore, terrestres partes, uti ossa, etc. Nos autem errorem hunc nimis pervulgatum alibi refutavimus. Nec minus illi falluntur, qui ex atomis omnia componunt, ut Democritus, aut ex elementis, ut Empedocles. Quasi generatio nihil aliud foret, quam separatio, aut congregatio, aut dispositio rerum. Non est quidem negandum, ut aliquid ex aliquo producatur, hæc quæ dicta sunt, necessario requiri ; generatio tamen ipsa ab iis omnibus diversa est. In hac sententia Aristotelem reperio : atque ipsum et postea docebo, et eodem albumine (quod omnes fatentur similare esse, non autem e diversis partibus compositum) singulas pulli partes, ossa, ungues, plumas, carnem, cæterasque omnes procreari et nutriri. Præterea, qui hoc modo philosophantur, materialem duntaxat causam assignant, et vel ex elementis sponte aut casu concurrentibus vel ex atomis varie dispositis, causas rerum naturalium deducunt; quod est in operibus naturæ, atque in generatione et nutritione animalium præcipuum haud attingunt : divinum nempe illud efficiens, et naturæ numen (quod summa arte, providentia et sapientia operatur, omniaque in finem aliquem, sive boni alicujus gratia efficit) non agnoscunt, sed divino architecto honorem derogant, qui non minore arte et providentia corticem in ovi tutelam extruxit, quam cæteras omnes ovi particular ex eadem materia et per eamdem facultatem formatricem composuit. » (Vid. *De gener. anim.*, *exercit.* 10, ed Lugd , p. 28-29.)

Sed non solummodo cartesiana ratio in eo peccat quod rerum plurimarum causas non indicet, quæ quidem omnes machinarum leges vincant. Eo autem perniciosa est, quod animo Deum negligendi consuetudinem afferat, et eodem adducat, ubi sint ii qui eum maxime negligunt. Cartesius enim illi philosophiæ parti, quæ de corporibus disserit, immorando nimium (hanc dico quæ materiam ad spatium reducit) putat sibi omnia per materiam et motum posse probare. Unde hoc temere dixisse fertur « si quis ei materiam et motum dederit, se mundum esse creaturum ». Ex quo igitur inferri potest ut censeat, materia et motu positis, omnia ex machinarum lege posse explicari, remota divina causa, quæ sive per se ipsam, sive alius cujusdam causæ instrumento operetur. Inde illa tam celebrata Pascalii nostri sententia : « Scilicet Cartesius Deo carere voluisset : sed tantum digito mundum impulisse Deum fingit, unde nullius adjumenti est Deus (1). » Qua enim in doctrina, Deus in principio inducitur, ut motum primum mundo conferat, quo facto, otiosus et iners rerum omnium spectator remanet. Hanc autem theoriam avide nuncupant Democriti sectatores, quum inde intelligant quomodo, sine Dei auxilio, singuli materiæ motus et modi fieri possint.

Anaxagoræ Cartesium similem dicam, cui Plato et Aristoteles dant vitio quod mundo universo mentem (νοῦν) nihil omnino agentem præfecerit, omnia contra aere, æthere, aqua, et cæteris rerum omni spiritu ca-

---

(1) V. *Pensées de Pascal*, par Vict. Cousin, p. 41.

rentibus elementis facta esse demonstraverit (1). Etenim, ut Anaxagoras, Cartesius turbines, motuum leges, subtilem materiam divinæ sapientiæ substituit. Ut Epicurei, omnia cæco et necessario materiæ motu explicat : Epicureis tamen inferior ; isti enim mundum sexcentas post vices tantummodo, eo venisse contendunt, sentit autem Cartesius corpuscula sponte et statim sese ordinasse, neque fore ut iterum permisceantur. Verum enim vero, unde ille ordo, nisi suprema sit aliqua intelligentia?

In eo enim præsertim peccat Cartesius, quod e natura fere omnino tollat intelligentiam, omniaque ad motuum leges referat. Nam censet mundo alicujus sapientiæ opus esse, quum futurum fuisse censeat ut meli r mundus fieret. Idem etiam eas rerum causas respuit, quæ ad finem attendunt, ideoque Deo nihil aliud concedit, nisi quod a principio voluntas ejus, non autem justicia et sapientia res egerint. Quo quidem facto, omnia inde ex fortuito pendent. Liquet autem explicari non posse in illa doctrina unde rerum naturæ ordo et concordia τὸ εὖ καὶ καλῶς fiant. Una enim est et proferri potest ordinis et pulchritudinis causa, quæ quidem in rebus mirum in modum elucet, videlicet, mens et ratio. Quod in Timæo et in Phœdone Plato demonstravit, quum omnes qui ad naturales causas confugiunt, quasi Deum ultro tolleret, vehementer reprehendat.

Ego vero, in finem disputationis facit Cudworthus, non intelligo cur illi qui isti sectæ studeant, necesse

---

(1) V. Platon, *Phœdon*, 99. — Aristote, *Métaphys.*, l. 1, c. I.

sibi esse credant Deum mundi præsidem præbere. Quid enim, Hercle, Deo opus est, iis qui illum nihil admodum agere contendant, et inertem res naturæ tantummodo contemplari !

§ III. *De natura plastica.*

Si fideliter Cudworthi sententiam exposuimus, satis perspicuum lectori esse reor, non in unius magistri verba auctorem nostrum juravisse, sed singulari quadam ingenii subtilitate usum, diversissimas miscuisse et conciliasse opiniones, nunc Platoni, nunc Cartesio, nunc Democrito, nunc Stoicis adhærentem. Corpora ad extensionem reduci arbitratur, in hoc Democrito simul et Cartesio consentiens, quamvis hanc doctrinam ambo non eodem modo interpretentur, quum ille atomos prædicaverit, hic autem rejecerit, ille τὸ κενὸν, hic autem τὸ πλῆρες pari ardore et pertinacia professi sint.

Licet atomisticam rationem sequatur, tamen contra Democritum mentis et Dei causam defendit, et rursus licet in eo Cartesii discipulus sit, tamen contra Cartesium vitam quamdam extensioni et *mecanismo* superiorem, Stoicorum et Heracliti exemplo, prædicat et profitetur : quod autem præcipue animadvertendum est. Dum enim omnes Cartesii sectatores mecanicam ejus rationem de natura materiæ et corporum motibus ita intemperanter efferebant, ut orbis totus quasi exanimis et iners langueret, Cudworthus naturam quasi excitavit, et ei pristinam animam cui fere omnes veteres philosophi faverant, restituit : non tamen, in hac Carte-

sianæ doctrinæ restauratione, iisdem rationibus usus est quibus postea Leibnitzius, sed Alexandrino quodam spiritu afflatus est qui naturam omnem vita divina quasi *ebriari* dicebant.

Animati mundi doctrina non minus antiqua quam philosophia ipsa videtur. Thales enim, quum omnia plena Deo dixisse fertur, et ambræ magnetique aliquam animam attribuisse (1), ut philosophiæ, ita dogmatis, de quo loquimur, auctor habendus est. Ignis ille quem Heraclitus desiderio æterno incensum canebat, et nomine Jovis designabat, quid aliud erat quam anima mundi (2)? Hæc autem doctrina Stratonis Lampsacei præcipue fuit, qui dicitur, si Tullio et cæteris scriptoribus fidem adhibeamus (3), naturam ipsam animatam vero et viventem et quasi cæca intelligentia præditam, in Dei loco prædicavisse. Quid quod Plato, in admirabili illo dialogo, qui Timæus inscribitur, animam mundi a Deo creatam depingit, sese æterne moventem, ut à *Phædro* discere licet, cæterisque rebus motum transferentem, quæ quidem in omnes universi orbis partes diffusa, singulis animalium aut hominum corporibus vitam aut motum infundit, horum membra et organa solertissime construit, et mandatis divinis serviliter obediens, omnia ista quæ miramur, conficit et absolvit, denique suum unicuique rei locum, suum munus, suos motus assignat. Si nunc ad Aristotelem venimus, non illum dicemus ipsam animam mundi admisisse. Si quam animam mundi esse senserit, eam non aliud

---

(1) Arist., *De an.*, I, 2; I, 5.
(2) Arist., *ib.*, I, 2.
(3) Cic., *De nat. Deor.*, I, 13; *Academ.*, II, 38; *Lact. de ira Dei*, 10.

esse quam Deum ipsum pronuntiaverim, qui omnia ad se quæcumque sint, fatali quodam ipsius desiderio impulsas allicit. Animam autem corporis *formam* definit, et ut peripatetice loquar ἐντελεχειαν (1). Ita ut, in peripatetica doctrina, anima, ut ita dicam, e corpore existat, nedum, ante corpus existens, et illud formet et conficiat, ut vitale illud principium, quod celebravit recentioribus temporibus Sthalius. Apud Stoicos, ut apud Stratonem, mundi anima primum rerum principium habetur, et, ut vere dicam, ipse Deus est. Mundum appellare solent animal æternum et perfectum, corpore et anima compositum : quæ quidem anima in universi orbis partes, vitam secum et calorem circumfert, unde particula quædam ad singulum quemque nostrum emicat, quæ fit anima unaquæque nostrum : illud est stoicorum numen (2). Non Alexandrinos minus quam Stoicos aut Platonem mundum animatum docuisse facile credas : quod est ceterum omnium in antiquitate philosophorum dogma, si exceperis Democriti et Epicuri sectatores. In hoc vero discrepant Alexandrini, ut animam mundi non omnium rerum esse unicum fontem, ut Stoici sentirent, neque, ut Plato, eamdem a Deo creatam fuisse, Dei autem ipsius esse, ut ita dicam, *gradum* quemdam et *decessum*, quæ vero rursus in inferius delapsa, corpus fit(3). Quum autem, sæculorum lapsu, celeberrima hæc veteris philosophiæ ætas evanuerit, temporibus illis, quæ media ætas dicitur, doctrinarum peripateticarum et

(1) *De anima*, l. II, c. I.
(2) Vid. Cicer., *De natur. Deorum*.
(3) Vid. Plot., pass.

alexandrinarum conjugio (si saltem addideris orientalem nescio quem spiritum per Arabas in Europam infusum), orta est quædam indigesta philosophia, in quam innumera occultorum entium et quasi larvarum irrupit multitudo, nomine *Archæorum*, quæ per corpora distributa, non animata solum, sed etiam vitæ expertia, auræ cujusdam instar, vitam per omnia diffundebant : quam doctrinam, in XVI° sæculo, Paracelsi illustrissimi discipulus Van-Helmons omnibus argumentis sustinuit, quæ vel ratio, vel auctoritas magistri, vel medicinæ quæ tum colebatur somnia, vel mystica fantasia suscitabant (1). A Van-Helmonte ad Cudworthum producitur aliquis neoplatonicorum aut neoperipateticorum tenor, qui eamdem doctrinam aut animarum, aut archæorum, aut principiorum vitalium fideliter usque professi sint. Scilicet Scaliger, Henricus Morus, et quidam alii, de quibus Leibnitzius loquitur, *idolum*

---

(1) Lege immensum et curiositate dignum Van Helmontis opus, quod sic inscribitur : *Ortus medicinæ, id est, initia physicæ inaudita, progressus medicinæ novus, in morborum ultionem ad vitam longam*, auctore Joanne Baptisto Van Helmonte, editio quarta, Lugduni, 1655.

Hæc sunt quæ maxime ad rem nostram attinent, loca :

« ..... Quidquid igitur in mundum venit per naturam necesse est habeat suorum motuum initium, excitatorem et directorem internum generationis.

» ..... Constat *Archæus* ex connexione vitalis auræ, velut materiæ cum imagine seminali, quæ est interior nucleus spiritualis, fæcunditatem seminis continens : est autem semen visibile, hujus tantum siliqua.

« ..... Imago hæc *Archæi* ex predecessoris idæa defluens..... Non est demortuum quoddam simulacrum, sed plena insignitum scientia, potestatibusque necessariis rerum in sua destinatione agendarum ornatum, ideoque est vitæ et sensationis primarium organum.

» ..... Archæus generationis faber et rector, seipsum vestit corporali amictu. In animantatis enim perambulat sui seminis latebras omnes et recessus, incipitque materiam formare juxta imaginis suæ entelechiam. Hic enim cor locat, ibi vero cerebrum designat, atque ubique immobilem habitatorem præsidem. »

naturæ, ut ille aiebat, defenderunt. Usque ad XVII sæculum nunc venimus, in quo, dum principes philosophiæ Cartesius, Hobbesius, Gassendus ad mecanicam rationem unice refugérent, formas substantiales una et principia vitalia respuentes, quidam philosophi, inter quos animadvertere est apud Anglos Grewium (1) et Cudworthum (2), vitales spiritus et naturas plasticas tuebantur.

Quæ Cudworthum impulerint, ut veterem illam de natura plastica doctrinam rursus suscitaret, quibus rationibus, hanc defendat et firmet, quomodo explicet naturam ejus, breviter nunc exponamus.

Negat Cudworthus veram erga Deum pietatem incolumem esse posse, nisi naturam quamdam, Deum inter et materiam mediam, vitali afflatu inspiratam, divinis mandatis obedientem, at vi et efficacia propria omnia temperantem et disponentem concedamus. Negat, quod talem naturam proposuerint, Stoïcos aut Stratonicos impiorum famam meritos esse, sed quod primum illud principium neglexerint et expulerint, quo sublato, nulla potestas, nulla ars naturæ remanere potest. Imo, qui naturam hanc negant, alterutrum fateri debere : aut materiam suos ipsam motus producere et dirigere ; aut Deum ipsissimum, nullo instrumento, et ut ita dicam propria manu, quidquid fit, operari, infimum quodque et vilissimum.

Atqui nunc, quid absurdius quam si priorem ha-

---

(1) Vid. Cleric., *Biblioth. chois.*, t. I, 128.
(2) *Dissertation upon plastick life.*

rum opinionem defendas? Primo enim, unde materiæ vim sese movendi præstes, quum in natura corporis, id est, extensione, tantum contineatur motum patiendi capacitas, non autem virtus motum dandi et communicandi. Hoc tamen concesso, quo pacto, qua sorte, qua cæca providentia, materia fortuito concursu jactata, mecanice mota, pulchrum et benignum rerum ordinem, et ut Græci aiunt, τὸ εὖ καὶ καλῶς produxisset? Melius et rectius opifex ille, de quo Aristoteles loquitur, qui de statuæ cujusdam aut machinæ pulchritudine interrogatus, respondit, incidente instrumento partim cava, partim plana extitisse, atque hac ratione hanc vel illam formam opus suum accepisse, ὅτι, ἐμπεσόντος τοῦ ὀργανοῦ τὸ μὲν κεῖλον εγενέτο, τὸ δὲ ἐπίπεδον. Quid, quod universi orbis partes in unum consentiant! Qua conspiratione omnes materiæ particulæ, quamvis separatim existant, tam perfectum, tam consentiens opus conficere potuissent, nisi vis una in unum finem uno vinculo hos atomos undique coactos connexerit, atque concatenaverit? Denique, quot res sunt quæ, ut jam monstravimus, mecanice explicari nequeunt! Imo quid de Deo apud eos qui talibus doctrinis favent? Quid refert utrum omnino Deum a mundi creatione aut conservatione amoveas, an prorsus eumdem tollas!

Altera vero opinio forsan minus absurda prima fronte videbitur. Quam si attentius consideraveris nescio an non priore insaniorem dices. Nonne enim indignum erat suprema providentia tot curis, tot laboribus eam affici, et unicuique rei invigilare, non regi, ne præfectis, ne magistratibus quidem similem, qui non rebus singulis consulere solent, sed genera-

liter et summatim omnia procurare. Præterea, unde ille rerum naturalium incessus, tarditas, procrastinatio? Nonne Deus, si cuncta ipse faceret, uno momento faceret? Quid de erroribus naturæ, difformitate corporum, de iis quæ Aristoteles vocat ἁμαρτήματα dicam? Quis credat divinum numen deficere, errare, opera reparare, genera et species miscere, manca et imperfecta producere? Quis credat naturam ita Deo resistere ut consilia ejus et sapientiam retardet? Quod nequaquam fieri posset, nisi res essent ab ipso Deo quasi neglectæ, ministro commissæ, qui divinis mandatis, non potestatis ipse particeps, inserviret.

Illa argumenta quibus hanc doctrinam lacessit, quæ Deum omnium rerum, fabrum esse docet, si philosophice consideraveris, haud multum valere, ut opinor, videbuntur. Illud autem, quod sequitur, si latius a Cudwortho explicatum fuisset, et qua patere debeat extenderetur, gravissimum profecto habendum esset, et ad intimam difficultatem attineret. Referuntur ipsius verba.

« Rationem vero si consulere volent, quibus hæc arridet sententia, vehementer eam sibi repugnare sentiant, atque moleste ferri, naturam quæ tamen *uti res spectatur a Deo distincta*, omni prorsus officio et labore privari, Deum autem rerum omnium machinatorem et fabricatorem introduci, qui neminem operis adciscat socium et adjutorem. Namque hoc si ita se haberet, quidnam reliquum esset, quam ut omnia, quæ fiunt et veniunt, aut violenter aut necessario, aut arte ac machinatione quadam fieri, nihil vero ab interiori quodam, quod in materia in-

hæreat, principio procedere, constitueremus (1)?»

His verbis Cudworthus Cartesium, qua latus præbet, forsitan ipse inscius gravissime invadens, ut Leibnitzius, demonstrat quam periculosum sit a creatis, id est, a natura omnem vim, omnem agendi facultatem ad Deum transferre. Sibi enim mentitur qui naturam a Deo distinctam declarat, omnem tamen efficaciam ab ea amovet, quod est ens ipsum amovere et rerum naturam aut in nihilum aut ad Dei modum redigere, quum nihil vere et substantialiter existat, quod nihil agat. Quum autem Cudworthus Deum in hac doctrina, unicam omnium rerum contendat causam fore, videtur Malebranchii opiniones indicavisse, quæ tum recenter natæ et in publicum propositæ fuerant, et *subtilis profanique illius auctoris* (2), Spinosæ dico, doctrinam præsensisse; et huic quam præsentiebat, pesti, idem ac postea Leibnitzius remedium proposuisse, creatarum rerum virtutem, efficaciam, contentionem.

Cæterum eos, qui negant naturam quamdam plasticam materiæ motibus præsidere, at certe leges quasdam motus esse fateri necesse est. Quid autem sunt hæ leges, et quo pacto omnibus materiæ particulis motus impressos regunt? Dicemus ne Deum, ut leges istæ observentur, ipsum agere, et propria manu quamque materiæ particulam impellere, cum ab ea opinione omnino abhorreat Cartesius, qui quidem Deum quam maxime amovet a mundi gubernatione? An leges sese ipsas tueri et observare? quod absurdius est quam ut

(1) *Dissertation upon plastick life*, 4.

(2) Vid. Leibnitz, *De natura ipsa*, ed. Dutens, t. II.

in eo immoremur. Hoc diceremus melius, Cartesium, quum de legibus motus loqueretur, non plane, quid intus in iis quæ diceret continebantur intellexisse, quum forsan sub alio nomine, naturæ ipsi plasticæ faveret. Quod et ipse satis patet ab epistola illa ad Henricum Morum : « Translatio illa, quam motum voco, non est res minoris entitatis, quam sit figura : nempe est modus in corpore. Vis autem *movens* potest esse ipsius Dei, conservantis tantumdem translationis in materia, quantum a primo creationis momento in ea posuit, vel etiam *substantiæ creatæ*, ut mentis nostræ vel *cujusvis alterius rei*, cui *vim dederit corpus movendi*, et quidem illa vis in substantia creata est ejus modus, non in Deo : quod quia non ita facile ab omnibus potest intelligi, *nolui de ista re in scriptis meis agere, ne videar favere eorum sententiæ qui Deum tanquam animam mundi materiæ insitam considerant* (1).

Concludamus igitur neque fortuito concursu aut mecanicis legibus, neque sola tantum et propria ipsius Providentiæ actione explicari rerum ordinem posse ; confugiendum autem ad naturæ plasticæ vitam, quæ Deum inter et natura sit media, et Dei jussu naturam gubernet : hec vita est Dei instrumentum et quasi ancilla, quæ quidem, Deo imperante, agit, qua in omne partes diffusa, Deus ubique præsens adest.

Nunc autem veniamus ad essentiam hujus naturæ, et eam diligenter describamus : nam reprehendat aliquis forsan Cudworthum, quod peripateticorum et scholasticorum more, quamvis aperte abhorreat ab eo-

---

(1) Cart., *Epist. ad Henricum Morum*, insignem naturæ procreatricis patronum, ep. LXXII.

rum qualitatibus occultis, et formis substantialibus, novam tamen qualitatem et nescio quam substantialem formam proposuerit. Quid enim interest naturam plasticam inter et virtutem vegetativam, sensitivam, atque omnes alias, quas Cartesii sectatores, tam merito rejecerunt, formas, in quas Cudworthus ipse, Cartesium secutus, tam vehementer in pluribus libri locis, invehitur. Multum tamen reipsa interest : si unquam enim ad qualitates occultas confugere aliquem necesse est, hoc ei eveniet qui nullam aliam terrarum orbi causam, nisi materiam et motum, esse ratus, concordiam et concentum rerum fortuito concursu atomorum explicabit, id est forte et casu, quibus nulla est, ut sentio, causa occultior ; nos autem (Cudworthum loquentem inducimus) quum rerum originem ad rationem (νοῦν) referamus et naturam nostram plasticam nihil esse aliud affirmemus ac rationis et artis divinæ instrumentum, τὸ εὖ καὶ καλῶς vere et proprie explicamus ita ut nullo modo qualitatum occultarum ope indigere videamur.

Ut vero naturam plasticam, imaginibus quibusdam usi, melius explicemus, fingat aliquis sibi animo, artem architecti, aut musici, aut aliorum, in ipsis rebus quibus architectus aut musicus utitur, latere ; haud aliter ac si lapides hac facultate fruerentur, qua Thebæi lapides, qui Amphionis pectine movebantur, et sponte sua alii super alios ad mœnia urbis informanda aggerabantur, aut si musici lyra, virtute quadam innata, nulla auxiliante manu, sonos ederet eosdem dulces quos musico attribuere solemus : quæ quidem lapidum aut lyræ, aut cujus libet alius rei facultas mire imago esset hujus naturæ quam plasticam vocamus. Unde

naturam plasticam definiamus, « artem quamdam in ipsa inhærentem materia, eamque, nullius adjutam auxilio moderantem, temperantem et certo consilio disponentem et fabricantem ».

Artem autem illam, cum longe et multis modis ab arte humana absit, tum hoc præcipue discrepare ab ea dicemus, quod materiam semper habeat exteriorem humana ars, nec quidquam, nisi instrumentis seu ferreis, seu ligneis usa, moliatur; quum contra natura, intus in materia latens, intus agat, sine instrumento, sine cujusquam auxilio operetur, et sine tumultu aut conatu, abscondite et obscure designatis fungatur muneribus. Secundo, quod ars humana semper deficiat, hæsitet, consulat, incepta aut interrompat, aut convertat, tum sistat, tum iterum aggrediatur; natura vero consilia indeficienter consequatur; ad propositum lente et gradatim, at tuto procedat, nunquam quiesçat, neque incerta maneat, neque pendeat, neque deliberet.

Quibus quidem natura, quam dicimus plasticam, arte humana adeo præstat, ut artis divinæ velut exemplar videatur esse, nequaquam errabunda, et unicuique rei regula, lex et causa. Ne tamen eam cum arte divina confundas, cavendum est. Natura est enim ars divina, sed materia *obvoluta*, et, ut ita dicam, *ebria;* non est autem artis divinæ ipse archetypus, quæ est intelligentia et sapientia divina, omni corpore destituta; atque, ut novis imaginibus utar, qualis sermo, si eum cum cogitandi facultate, qualia impressa signa, si ea cum opere ipso a poeta aut philosopho concepto compares, talis est plasticæ naturæ virtus, si ad divinam artem spectes.

Ideo natura plastica, quam modo arte humana superiorem declarabamus, nunc contra duobus inferior esse nobis videtur : 1° quia non intelligat quorsum et quomodo agendum sit, licet prudentissime agat, 2° quia sui ipsius non conscia operetur.

Est igitur, ut jam diximus, divinæ naturæ natura plastica imago; eadem tamen conditione qua cera signi imago est, cujus impressas formas servat. Extremum enim inter animas locum natura illa tenet, quæ nulla ratione ornatur, aut si quid rationis habet, ultimam sane habet et imbecillimam. Quamobrem, quamvis certissime et solertissime gradiatur, tamen hujus muneris quod conficit, et rationum quibus conficit, notione caret. Unde sequitur, ut modo aiebamus, sine intelligentia intelligenter naturam agere : quod, licet rationi primum repugnet, facile intelligas, dum modo parum perpendas : cæterum quo facilius sentias, duas nunc omnibus notas agendi rationes propius consideres, consuetudinem, et animalium affectus.

Consuetudo est vis quædam, qua certissime et rectissime motus difficillimos, varios et multiplici natura, perficimus, καὶ τοῦτο nequaquam meditantes quid nobis et quibus modis agendum sit; imo eo perfectius agendis operibus fungimur, quo minus ad hæc animum tendimus. Exemplum est musicorum et saltatorum, quos num quis dicat meditari et præparare volubiles et innumeros istos motus, quos stupemus? « Musicum, quæso, dormitantem adorire, atque carminis, quod vel ipse numeris alligavit musicus, vel memoriæ mandavit antea, exordium cane : is vero continuo, ac fortassis ante, quam somno prorsus fuerit solutus, vocem suam tuæ junget, cœptam cantilenam non

desinet persequi, donec ad totius exitum carminis perventum sit (1)». Itaque merito dicitur consuetudo altera natura : naturam autem reciproca sententia Stoïci ἕξιν vocabant, id est consuetudinem, tanta est inter utramque necessitudo! Hoc tantum discrepant, ut consuetudo labore et conatibus acquiratur, natura autem sponte existat et agat, quod vero non ad id quod quærimus, spectat.

Alia est et fidelissima naturæ imago, animalium affectus dico : qui quidem nullo consuetudinis, vel educationis, vel rationis auxilio, mira solertia et perfecta diligentia difficillimos et diversissimos motus animalia docent, ita ut fuerint (2) qui affirmaverint horum mentem humana mente et sagacitatem sagacitate nostra multo superiorem! Qualem compositionem partium, qualem geometriam ædificii, quale artificium operis totius in cellarum constructione, in mellis confectione, in reipublicæ gubernatione apud apes mirari est, qualem artem in nidis avium construendis, in telis araneæ contexendis, quamvis tantæ artis insciæ omnes videantur, neque scientia scilicet cum geometris aut architectis æmulentur! Hæc enim artificiose sine arte operantur, et, ut loquitur Aristoteles, οὔτε τεχνῇ, οὔτε ζητήσαντα, οὔτε βουλεύσαντα ποιεῖ.

2° Hoc est alterum inter naturam plasticam et humanam artem discrimen, ut illa sine conscientia operetur, et, græco sermone, ἄνευ συναίσθησει ἐργάζηται, ita ut non solum non intelligens, sed ne sentiens quidem, munere suo, quodcumque sit, fungatur, non

(1) *Dissertation upon plastick life* 13.
(2) Bayl., *Dict.*, art. *Rorarius*.

hominibus solum sed et bestiis inferior. Bestiæ enim, si non rationem, at certe conscientiam, sensum, συναίσθησιν habent. Quibusdam vero philosophis mirum et stupendum videbitur quod declaremus naturam esse vim et principium quoddam agens, neque tamen sui ipsius conscientiam habere. Nam recentes nostros philosophos entia in duas species omnino separasse jam monstravimus, unam cogitantium, alteram extensorum, neque ullam mentem, ullam vitam esse posse contendere, cui non insit cogitatio, et necessarium illud cogitationi attributum, conscientia. Hæc est Cartesii doctrina, et jam satis diximus quibus Cudworthus hanc argumentis lacessiverit. Contendit autem Cudworthus « Medium quoddam genus actionum esse inter motum externum, et vitalem illam facultatem quam in animantibus esse novimus; a quo genere sensus ille absit, qui vitæ animalium conjunctus est. Est simplex quædam et interior efficacitas, visque ex se ipso sese movendi, quæ caret altera virtute illius rei, quam Græci συναίσθησιν dicunt... Illud quidem sine ullo dubio concedendum est, eam rem quæ materiam commovet, aut motum ejus, vitæ instat, dirigit, id ipsum propria quadam et pretiosa virtute facere, a motu sejuncta. Id etiam ut credamus, ipsa exigit ratio, rei illi cum materia quam regit et moderatur, naturalem quamdam et *vitalem cognationem et necessitudinem*. Utrumque vero hoc fieri posse existimamus sine clara et expressa facta cognitione et Conscientia. Πᾶσα, inquit Plotinus (1), Ζωὴ ἐνέργεια δὲ, καὶ

(1) Enn., III, l. II, c. XVI.

ἡ φαύλη· οὐχ ὡς τὸ πῦρ ἐνεργεῖ, ἀλλ' ἡ ἐνέργεια αὐτῆς, κἂν μὴ αἴσθησίς τις παρῇ, κίνησίς τις οὐκ εἰκῇ (1).» Imo, non longe abest, ut huic naturæ quodam quasi Leibnitzii præsagio, obscuram et imperfectam, a sensu animalium dissimilem, perceptionem tribuerit, verba Plotini referens qui naturæ inesse dicebat θεωρίαν τινὰ ἄψοφον, et eamdem φιλοθεάμονα appellabat.

Quis autem istam opinionem defendat nullam vitam esse sine cogitatione, id est, clara et perspicua conscientia, dummodo cogitet animalia, hominesque ipsos, non semper sui et cogitationem suarum conscientiam habere, scilicet in somnio et in lethargia, neque semper animas conscias esse rerum quæ mente agitantur. Non enim geometra semper, demonstrationem, quas ipse didicit, aut cæteros docuit, non semper musicus cantilenarum quas olim composuit, memoriam tenent, quæ nihil est nisi conscientiæ genus. Ipsi vero num conscii sumus hujus vis qua cogitamus, qua membra movemus, qua denique respiramus, et vivimus? Quod si ita se res habeat, quid impediat quin pariter naturæ inhæreat virtus, cujus non conscia sit : « Nemo porro nostrum est, quem non usus docuerit, multas sæpe numero a nobis posse insciis actiones edi animales, quas postea demum expendimus, et consideramus. Ita longis atque diuturnis interdum motibus corpora versamus quum tamen nihil, si a latente quadam et secreta voluntate recessoris, nos incitet, nec accurata præcesserit deliberatio. *Illa porro vitalis convenientia et conjunctio quæ mentem nostram corpori, nodi atque*

(1) *Dissert. upon plast. nat.*, 16.

vinculis instar, alligat, non ex se directe sentitur et cognoscitur a nobis, verum ex effectu tantum (1). »

Illa autem, quæ notamus, verba nos, ut videtur, ducunt ad illum de quo quædam jam ab initio opusculi hujus enuntiavimus, *mediatorem*, ut vocatur, *plasticum*, vinculum nempe illud, quod animam et corpus conjunxisse dicitur, et utriusque naturæ particeps esse. Si quæ reperimus in Cudwortho hujus entis vestigia, nulla alia sunt, quam ea quæ nunc leguntur : namque de ista ipsa conjunctione agitur quæ mentem corpori alligat, *nodi atque vinculi instat*. Sed vitam illam inter (quæ hujus tantum causa inducitur, ut argumento sit, potestates quasdam esse ne minimam quidem sui conscientiam habentes), et vinculum illud (quod una corporis et animi naturam participet, et utramque nostri partem cognata quaque parte, alliciens, in una vivendi agendique communione conciliet), quantum intersit, quis non videt? Nusquam autem, vel in loco citato, vel in cæteris, hanc hybridam naturam noster commemorat, nusquam ridiculum hunc nodum, qui, quum ambæ humanæ naturæ partes eæ esse videantur, quæ inter se communicare nequeant, tamen hanc duplicem partem in sese colligat; ita ut commercium illud, quod explicandum est, jam ponatur : quod quidem nemo est, inter logicos, qui non *circulum* vocet. Sed vita illa, de qua nunc loquitur, ne definitur quidem : imo Cudworthus pendet incertus utrum illa sit aliquid per se existens, an aliqua pars animæ inferior, aut occulta facultas. Nusquam in Cudwortho ambigitur de animi et corporis commercio : quam quidem

---

(1 *Dissert. upon plast. nat.*, 17.

quæstionem Malebranchius et Leibnitzius accuratissime tractavere. Unum est ab eo agitatum utrum materia sese ipsa moveat, et mecanicis legibus obtemperans omnia, quæ cernimus conficiat, an hæc eadem Deus ipse, quasi solus personas agat, machinetur. Quod si rem ita consideres, haud immerito quidem dicere est, medium aliquid esse a Cudwortho propositum et defensum, quod quidem non animam inter et corpus ponendum est, sed Deum inter et materiam. Tum quodam modo verum erit vitam illam plasticam corporis et animi naturam participare, quum una cum corpore intelligentia et conscientia egeat, una autem cum animo simplicitatem et efficacia sortita sit. Si vero attentius perpendas et proprie loquaris, non æquam esse illius cum utroque participationem fatebere : nam animorum generi affinis videtur, attributis, ut ita dicam, *positivis*, simplicitati et efficacia, *negativis* autem corporum generi, nempe intelligentiæ et cognitionis privatione (1).

Non autem satis enucleate de vitæ plasticæ natura Cudworthus lectorem docet : quippe qui Cartesii præcepta non satis sequi mihi videatur, qui nihil vult nisi clare, expresse, gradatim, simpliciter exponi, longe ab omnibu fantasiæ somniis, neque ad veterum auctoritatem quemquam refugium quærere. Si quis sciscitatur quomodo quo agat illa natura, hæc respondet : *fataliter*, *sympathice*, *magice* agit natura plastica. Quid vero *magice* aut *sympathice* significat? Utrum Van-Helmontem et Paracelsum an Cartesii aliquem æqualem et fere discipulum audimus « Mutua, inquit,

---

(1) Unde orta sit vulgaris illa de mediatori plastico opinio disquerenti, Johannem Clericum, verba Cudworthi interpretantem, legendum suadeo.

illa corporis et animæ conjunctio et convenientia quam longinquus usus extra controversiam collocavit, non res quædam est ex materia conflata, aut legibus adstricta et ponderibus naturalibus, sed vitalis; ideoque non male *magica* nominari potest (1). » Unde manifestum est *magice* idem esse ac *vitaliter*, ita ut plastica *vita vitaliter* agere dicatur : quo responso si quis illuminetur, nihil ultra adjiciendum puto. Nihil manifestius erit si eum interroges, utrum sit ens quoddam, an aliqua facultas natura ista. Quæ vero interrogatio quanti sit momenti nemo est qui non intelligat. Interrogatus vero, non suam, sed per longas ambages Aristotelis opinionem, explicat, sic concludens : « An cæterum anima cujusdam intelligentiæ et consilii compotis facultas sit inferior, an vero mens quædam et vita, per se quidem separatim existens, et minor et imperfectior, non ex omni parte perspicuum est (2). » Quæ vero de numero plasticarum naturarum proposuerit, ut rara et obscura, ita sibi parum constantia, ne caput istud nimium extendamus, omittere nobis liceat.

§ IV. *Petri Baylii et Johannis Clerici de natura plastica disputatio. Quid de eadem Leibnitzius censuerit.*

Non Cudwortho sui defuere sectatores, neque, ut solet, adversarii; inter illos princeps fuit Johannes Clericus, eruditus ille et sagax inter reformatæ religionis scriptores; inter istos Petrus Baylius, quo

(1) *Dissert. upon plast. life*, 18.
(2) *Ibid.*, 26.

nemo acrior aut ingeniosior fuit eorum qui in hac ætate de philosophia, de theologia, de historia et aliiscumque rebus quæ ad litteras attinent, scripsere. In hac disputatione quæ inter eos de natura plastica orta est, et de qua summa tantum delibabimus, Clericus, mea sententia, veri ipsius intuitu, Baylius vividitate et calliditate ingenii excelluerunt (1). Totam vero disputationem Leibnitzius mira judicii temperatione composuit et litem diremit : nec mirum ; ut pote, qui Cudworthi exemplo, cartesianam doctrinam lacessiverit, et ad novum philosophandi genus converterit.

Ut ab initio totam disceptationem sumamus, verba ipsius Baylii hic referemus.

« Quotidie, inquit, eos qui ardentissime in atheos invehuntur videre est adversariis invitos insciosque arma præbere. Cujus rei excellentissimi quidem inter philosophos Grewius et Cudworthus exemplum offerunt : quippe qui indignum se censuere eam cartesianam opinionem tutari qua haud dubio nulla est quæ pro Dei existentia magis valeat, hanc dico quæ a creatis ad creatorem omnem agendi potestatem defert, et sibi magis fore gloriosum visi sunt, si titubantem et jam humi prostratam peripateticorum doctrinam relevare et recreare niterentur, et veterem de formis substantialibus doctrinam renovarent, hic naturæ plasticæ, ille mundi vitalis systema illustrando. Qui quidem quantum mali et detrimenti veræ causæ afferant, quamvis nil tale sane moliantur, ultra fidem est. Quid

(1) De ista disputatione, vid. Bayle, *Continuation des pensées diverses*, XXI, CVI, CVII, CXI, CXIII; *Histoire des ouvrages des savants*, art. 7 août 1704 ; *Réponse aux questions d'un provincial*, c. CLXXIX sqq.; Cleric., *Bibl. chois.*, t. V, art. 4 ; t. VI, art. 7 ; t. VII, art. 7.

enim magis atheos implicet et irretiat, quam quod animalium formationem cuipiam causæ attribuere cogantur, quæ propositum suum haud temere sequitur, imo sapientissime, nihil tamen sciat de legibus quibus obtemperet, et de isto proposito, quod ipsa diligenter ad eventum ducit. Quum tamen in eadem conditione sint Cudworthi plasticæ naturæ, et Grevii principium vitale, hanc objectionem multo debilitant. Nam, quod Deus talem plasticam virtutem creare potuerit, documentum est non rerum naturam repugnare talium substantiarum existentiam : h s igitur per se existere posse concludimus. Quod hac comparatione facilius intelliges : quod si enim materia facultatem movendi recipere potuit, tum nulla est materiam inter et facultatem movendi repugnantia. Tum vero, quid obstat, quin per se existat materia, et in sua essentia facultatem, vel se ipsam, vel alias res movendi contineat? Qui autem contendunt materiam non esse quæ vel extrinsecus facultatem sese movendi accipiat, at Deum solum motus potestatem habere, sunt qui atheos facilius refutent. »

Quid ad illa retulerit Clericus, breviter commemoremus.

Quid inter plasticas naturas et formas substantiales, intersit, satis, ut mihi videtur, superiori capite exposuimus, ideoque Clerici argumenta de hac re omittemus. Ad illud vero quod a Baylio objicitur, veniamus: scilicet ab atheis retorquendum, si quis eos reprehendat, quod mundum ab insciis causis, nullos fines, nullas rationes rerum providentibus, creari contendant, in eamdem reprehensionem Cudworthum venire, naturas plasticas prædicantem, quæ mira diligentia mirum

opus conficiunt, quamvis earum rerum quas movent, et rationum quibus has movent, imo sui ne minimam quidem cognitionem habeant. Huic reprehensioni a Clerico respondetur nullum esse retorquendi locum. Illud enim atheis objicitur, quod orbem illum, in quo intelligentiæ et providentiæ mira multa vestigia elucent ab improvida et cæca causa creari asseverent. Cudworthus vero, quum materiam demonstret esse extensionem, et materiæ omnino repugnare quidquid intelligendi, sentiendi, videndi facultati simile est, ab altera autem parte, statuerit hunc orbem intelligenti causa indigere, et causam esse quamdam supra omnes, ratione et mensura quodcumque est, gubernantem, habendus est duo e gravissimis ath orum adminiculis evertisse, et radicitus eorum stirpem evulsisse, nullumque Baylio retorquendi locum permittere. Nam, quod facultas, sui inscia, divinis vero mandatis, id est, supremæ intelligentiæ obtemperans, animalia et plantas, et quæcumque cernimus, conficit, num ab eo sequitur facultatem istam, vel sublato Deo, eodem munere fungi posse? Confiteor equidem retorquendi quemdam fuisse locum, si naturas istas Cudworthus finxisset quidquam conficere, Deo non dirigente : quod scilicet fingunt Stratonici. Quum autem Deum Cudworthus censeat primum esse opificem, quid necesse est, ut instrumenta quibus utitur, jussorum exsequendorum intelligentiam afferant, et fines rerum cognoscant. Satis est causam omnium principem suprema arte excellere, neque illa mundi concordia et pulchritudo requirit, quæcumque naturæ isti principi inserviunt, eadem arte esse instructa. Objicit quidem Baylius, si naturæ plasticæ admittantur, non tales naturas rationi repugnare : ni-

hil profecto clarius. Axioma enim est, ab actu ad posse valet consequentia. Non inde tamen sequitur has naturas per se posse existere, et æterne extitisse, et nullo intelligentiæ auxilio, rerum miracula creare potuisse : quod tamen athei affirmant, noster autem nequaquam.

Quæ controversia, quum ultra fines quos jubet hujusce dissertationis mensura protendatur, et sæpius in se revertatur, in brevius utriusque argumenta cogere liceat.

Baylius Clericum sic redarguit : Si causæ plasticæ, ut dicitur, sunt artis divinæ instrumenta, cujus generis sunt ? Est enim duplex instrumentorum genus, videlicet eorum, quæ nulla interiore vi instructa, nihil sponte agunt, ut securis, aut malleus : quæ jure physica esse instrumenta dicas ; illorum vero, quæ sponte agunt, ut artifex, ut faber et *causæ* vere *efficientes* dicuntur : quæ *moralia* instrumenta voces. Alia quidem, ut extrinsecus dirigantur, non cognitionem requirunt ; alia autem quanquam non fines operis semper cognoscunt, ut faber fabricandi, ut navigandi nauta, ut præliandi miles, tamen quid agant, et qua ratione agendum sit sciant necesse est : ceteroquin nihil agerent. Si prioris generis instrumentis naturas plasticas assimiles, quibus Deus utatur, ut securi agricola, ut malleo faber, non multum sane Cudworthi doctrina a cartesiana quam adeo vehementer lacessivit, discrepat. Dicebant enim et cartesiani corpora divinæ potestatis instrumenta esse ; quid aliud sunt istæ, quas vocant, causæ *occasionales*, nisi istius generis instrumenta ? Quod si ita est, Stratonicis nulla equidem est in Cudworthum retorquendi

facilitas. Quod si autem naturas plasticas efficientes vere causas esse dicas, et sponte agere, nullum video ab objectione refugium. Quid enim refert, utrum dicamus supremam rerum causam intelligentissimam esse, si secundæ ipsæ causæ hujus intelligentiæ ne minime quidem sint participes et tamen in creatoris locum substituantur? Si quis enim dicat, facultatem aliquam, insciam quidem et irrationalem, quod ab intelligenti causa facta est, eo idoneam esse ad opera conficienda, quæ intelligentiam requirant, haud secus est ac si dicat e duobus hominibus æque cæcis, hunc quidem viæ omnino ignarum esse, illum vero, quia a patre generatus est, qui oculis fruatur, tuto et secure progredi. Quod a causa præstantiore hic veniat, non nego præstantiora dona, quod ad cætera attinet, accepisse, quod vero ad oculos, nihil, si cæcum dicas. Quid enim ad te cæcum dirigendum interest ab cæca ne an videnti causa venias, cum tamen patris consilio et manu indesinenter dirigaris oportet. Haud aliter ad materiam disponendam, nihil refert quod a causa intelligenti natura orta sit, si cæca sit et quibus elementis utatur, qua lege hæc componat, separet, distribuat, et in unum ordinet, nesciat. Quid prodest enim ad opus tale, efficiendi facultas, deficiente intelligentia? Quid crura cæco, quid potestas procedenti tibi prodest, quorum, quibus auxiliis procedas ignoranti? Quod de potestate divina dicitur, nullius ponderis existimo. Nam si quis contendat plasticam facultatem nescio qua proportione formandæ rerum naturæ capacem esse, licet cognitione careat, hunc ad formas substantiales redire, neque a scholasticis multum differre demonstrabo; imo Stratonicos non ef-

fugere, merito rogantes cur facultates non creatæ, seu plantarum, seu animalium, virtute eadem occulta, qua plastica natura, opus non conficiant, seu a principe causa oriantur, seu per se existant. Præterea, nihil rerum ordini et arti div næ magis repugnat, quam quod fingas supremum artificem, quum rerum disponendarum, ut sunt, causas creaverit, his tamen negavisse, quod maxime ad designatum opus promptum et necessarium videtur, id est muneris sui notitiam, proque illa virtutes occultas, nequaquam proposito accommodatas substituisse. Adjice hanc scholarum sententiam: quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: manifestum enim est infinitæ causæ effectum, cum a finita re accipitur, non infiniti sed finiti conditionem pati. Nemo enim dicat divinæ auctoritati modum imponi, quod negatur illi communicare posse græci poematis condendi facultatem, nisi cui linguæ græcæ et componendorum carminum scientiam præstiterit. Quomodo autem mundi construendi, quod quidem est opus poemate longe difficilius præstantiusque, provinciam nescio cui naturæ aut facultati committat, nec ei præstet quod maxime est in hoc opere necessarium, operis exsequendi scientiam! Præterea, quæ exempla proponit Clericus nihil probant. Bestiæ enim, quum aliquid efficiunt, licet non semper sciant quæ sint consilia aut fines jubentis aut dirigentis magistri, non tamen nihil sciant, quod si ita sit, nihil per se agant, neque a physicis instrumentis differant, quæ impellat aut dirigat humana manus. Solemus autem animalia, primum domare, deinde quasi emancipare, postquam parta consuetudine, et rerum notitia nostram intelligentiam non jam requirunt. Quis dubitet enim canem

signa intelligere, quibus seu appropinquet, seu absit, jubeas. Eo minore opera in animalibus dirigendis uti nobis licet, quo majorem intelligentiam rerum habent, quo opportunius nostris consiliis consentiunt externi eorum aut interni sensus. Eodem modo, cum naturæ plasticæ dicuntur nullius intelligentiæ participes esse, continuo illas a Deo dirigendas, tanquam sint instrumenta physica, censeo. Ne illud quidem quo pacto defendatur intelligo, videlicet naturas plasticas a suprema intelligentia creari potuisse, quæ non sentiant quod ordinem vocamus, id est certam partium dispositionem ad propositum finem destinatarum. Nam, sicut artifices, quum domus elementa comparant, necesse est ut conditiones illas præcognoscant, sine quibus domus esse nequit, ita virtutes plasticæ, quum nescio quo artificio corpora animalium et plantas ædificant, ordinis totius, id est partium dispositionem juste ad finem accommodotam provideant, necesse esse reor. Mirum prorsus equidem omnium eorum qui subtilissimam illam et spinosissimam de generatione viventium quæstionem tractaverunt, neminem veram rei difficultatem perspexisse. Sciscitatum enim est an anima bestiarum eductione, inductione, traductione ve gigneretur, *astrorum vim*, *calidum innatum*, *spiritum vitalem*, *seminis virtutes*, *facultatem plasticam* (1) invocavere : nemo autem fuit, cujus animo successit qua ratione causæ istæ munerum ignaræ tam miri muneribus fungerentur. Scio equidem, illi qui *archæum* omnis generationis fabrum depingunt *idealiter* illum agere

(1) De *astrorum vi* in Keplero, de *calido innato* in Fernelio, de *spiritu vitali* in Grewio, de *seminis virtutibus* in Sennerto, de *facultate plastica* in Cudwortho agitur.

dicunt. Non autem idcirco dicunt intelligentem esse ; sed quædam *signa* interna inesse in seminibus secundum quæ animalia producunt. Quod ad varia systemata de generatione attinet, nunc omittamus.

Hæc Baylius ; Clericus vero quid demum responderit, vide.

Illud unum versatur in discrimine, utrum intelligentia suprema, quum opus quoddam machinandum molitur, hujus machinationis operam cuipiam causæ committere possit, quid faciat, et quomodo faciat, ignoranti, tamen certa via progredienti, neque ab ordine divinitus designato abscedenti. Hoc autem non secum pugnat. Nihil clarius et facilius admittitur quam instrumentum voluntatis et artis divinæ interiore quodam motus principio animatum, qualis est animalium mira ista providentia, quam nemo dicat omnibus notionibus instructam esse, quæ mirabilia illorum opera testantur, neque ideo tamen nullam esse fatebitur. Si quis enim naturas plasticas Cudworthi negat, ad alterutrum, æque quidem extremum ducetur, aut bestias scientia et arte multo hominibus præstare, aut, ut censebat Cartesius, nihil esse ac machinas, quarum motus pervigili Dei manu perpetuo diriguntur. Non hic hujus opinionis vitia iterum exponere locus : quod qui scire velit Cudworthum ipsum legat de naturæ plasticæ necessitate disserentem. Nemo vero concedat plus esse in animalibus quam in hominibus intelligentiæ. Unum igitur superest, animalibus tribuas agendi potest.tem, intelligentia quidem privatam. Quod si quis præterea quærat cur non Cudworthus plasticas naturas intelligentia donaverit, non satis Cudworthi philosophiam introspexit, qui quidem sibi hoc præcipue proposuit ut

cartesianæ doctrinæ vitium corrigeret, videlicet absolutam corporum et mentium separationem et quamdam entium series continua extenderet cujus in principio Deum, in secundo loco angelos, in tertio humanum genus, in quarto animalia, in quinto plasticas naturas, postremo demum corpora poneret. Quam quidem seriem, Alexandrinorum exemplo, naturæ scalam appellabat.

Quo totius hujus litis dijudicationem faciamus, judicem aliquem multo nobis præstantiorem inducemus, Leibnitzium quidem, cujus quam maxima est in hac disputatione auctoritas. Eamdem enim quam Cudworthus defendit opinionem, id est creatarum rerum efficacitatem, ideoque in Baylii reprehensionem incurrit. Quæ fuerit Leibnitzii de Cudwortho sententia satis monstrabunt sequentes loci. Primum de natura illa universa quæ toti immixta mundo omnia gubernet et disponat, hæc dicit :

« Quod primum attinet, de ipsa natura, si dispiciamus, et quid sit, et quid non sit, assentior quidem, nullam dari animam Universi; concedo etiam miranda illa, quæ occurrunt quotidie, de quibus merito solemus, opus naturæ esse opus intelligentiæ, non esse adscribenda creatis quibusdam intelligentiis, sapientia et virtute proportionali ad rem tantam præditis; sed naturam universam esse, ut sic dicam artificium Dei et tantum quidem, ut quævis machina naturalis (quod verum parumque observatum artis naturæque discrimen est) organis constet prorsus infinitis, infinitamque adeo sapientiam potentiamque auctoris rectorisque postulet. Itaque et *calidum omniscium* Hippocratis et *Cholcodæam* animarum datricem Avicennæ, et illam sapientissimam Scaligeri,

aliorumque *virtutem plasticam*, et principium hylarchicum Henrici Mori, partim impossibilia, partim superflua puto; satisque habeo materiam rerum tanta sapientia esse conditam, ut ipso ejus progressu admiranda illa contingant, organicis præsertim (ut arbitror ex prædelineatione quadam sese evolventibus. Itaque quod vir cl. naturæ cujusdam creatæ, sapientis, corporum machinas formantis gubernantisque figmentum rejicit, probo (1). »

Constat igitur ex his verbis animam mundi Leibnitzium non approbavisse. Non ideo tamen vitam a rebus creatis separat : quid de illa censeat, videamus. Primum, hæc de philosophia Cartesii.

« Quod si quis defensor philosophiæ novæ, inertiam rerum et torporem introducentis, eo usque progrediatur, ut omnem jussis Dei effectum durabilem efficaciamque in futurum adimens, etiam novas semper molitiones ab ipso exigere nihil pensi habeat, is quam digna Deo sentiat, ipse viderit (2).

» Quantum enim abest, ut Dei gloriam augeat, tollendo idolum naturæ; ut potius rebus creatis in nudas divinæ unius substantiæ modificationes evanescentibus, ex Deo factura cum Spinosa videatur ipsam rerum naturam, cum id quod non agit, quod vi activa caret, quod discriminabilitate, quod denique omni subsistendi ratione ac fundamento spoliatur, substantia esse nullo modo possit (3).

» ...Unde consequens est, ne res quidem durabiles

---

(1) Leibn., ed Dutens., t. II, part. II, p. 49. *De ipsa natura, sive de vi insita actionibusque creaturarum*, 1698.

(2) *Ib.*, p. 52.

(3) *Ib.*, p. 58.

produci posse, si nulla ipsa vis aliquandiu permanens divina virtute imprimis potest. Ita sequeretur nullam substantiam creatam, nullam animam eamdem numero manere, nihilque adeo a Deo conservari, ac proinde res omnes esse tantum evanidas quasdam sive fluxas unius divinæ substantiæ permanentis modificationes, et phasmata, ut sic dicam; et quod eodem redit, ipsam naturam, vel substantiam rerum omnium Deum esse; qualem pessimæ notæ doctrinam nuper scriptor quidem subtilis, et profanus, orbi invenit vel renovavit.»

Est igitur in rebus quædam efficacitas : quod quidem Cudwortho una et Leibnitzio commune. Ad id quod de Cudwortho pronuntiavit, nunc veniamus.

» Cudworthus non atheis de pulchritudine mundi locum retorquendi permittit, tanquam si a causa intelligentiæ inope oriri queat; nam Deum semper naturam istam dirigere opinatur, quam plasticam vocat. Sed in eo peccat, in quo cæterum plerique philosophorum, vel cartesiani, ut censeat motum naturaliter fieri posse, non tamen mecanice, quod quidem est recto rerum ordini repugnans, argumentumque illud debilitat, quo ad primum motorem ducimur : ego contra affirmandum esse censeo animas, aut, si quæ sunt, cæteras incorporeas naturas neque dare neque datum mutare motum posse, neque *influxu*, neque *occasione*, omnibus a Deo convenienter prædispositis (1).

» Deus monet esse aliquam in rebus vim agendi : interim ea vis ipsi materiæ, id est, *antitypiæ* tribuenda non est, sed insitæ sunt entelechiæ; at non

(1) Leibn., *Lettr.*, XIX, t. VI, ed. Dutens.

ideo probo, quæ de naturis plasticis Cudworthus et Clericus habeat; putant enim hi, esse naturas, quæ non mecanice operentur in corporibus; ego vero censeo, omnia in natura corporea fieri mecanice, etsi ipsa mecanismi principia ex sola materia non pendeant. »

Quod si quis non satis intelliget, hæc etiam secum meditetur :

» Robertus Baylius, vir insignis et in naturæ observatione cum cura versatus, de ipsa natura libellum scripsit, cujus mens eo redit, si bene memini, ut naturam judicemus esse ipsum corporum mecanismum, quod quidem ἀστὲν πλάτει probari potest; sed rem rimanti majore ἀκριβείᾳ distinguenda erant in ipso mecanismo principia a derivatis : ut in explicando horologio non satis est, si mecanica ratione impelli dicas, nisi distinguas, pondere an clastro concitetur. Et a me aliquoties jam est proditum (quod profuturum puto, ne mecanicæ naturalium rerum explicationes ad abusum trahantur in præjudicium pietatis, tanquam per se materia stare possit, et mecanismus nulla intelligentia, aut substantia spirituali indigeat) originem ipsius mecanismi non ex solo materiali principio mathematicisque rationibus sed altiore quodam et, ut sic dicam, metaphysico fonte fluxisse (1).

Ne ultra progrediamur. Cæterum à Cudwortho in Leibnitzium exularemus. Satis est, quod exposuerim quid Leibnitzio videatur apud Cudworthum deficere.

---

(1) *De natura ipsa*, etc., p. 50.

His, quantulacumque sint, docemur, qua via Cudworthi in Cartesium doctrina ad Leibnitzianam deflexerit. Quodquidem non minimi momenti est.

§ V. *Conclusio.*

Postquam Cudworthi doctrinam exposuimus, præcipue de illa, cui singularem in modum adhærebat, et qua nomen ejus celebratur, *plastica* naturæ vita, nunc quid proprium habuerit et peculiare hujus philosophia, quid cum cæteris ejusdem ætatis opinionibus commune aut absimile, quas partes egerit inter philosophos æquales, indicare, et, quantum licet, certo modo definire tentemus.

Cudworthi temporibus nondum à veteri auctoritate decesserat scholastica philosophia, si scholas tantum consideres. Jamdudum enim Aristotelis opinionibus novæ misceri aut substitui cœperant opiniones, inter eos qui ingenui et toga liberi philosophicis incumbere solebant studiis: non autem ille novus rerum ordo, nisi quædam exciperes, in scholis orsus erat. Aristoteles adhuc in cathedris, licet a Cartesio et anterioris sæculi philosophis rejectus et refutatus fuisset, dominabatur, et peripateticam physicam, qualitates occultas, formas substantiales, potentiales facultates, formam et materiam, potentiam, actum et privationem, pertinaces magistri, syllogismis muniti, ardenter defendebant. Quos quidem neque Cartesio, neque Gassendo, neque Hobbesio, neque Malebranchio omnino evertere contigerat (1).

(1) Peripatetismus moriens, philosophiam et theologiam una calumnia

Cum in scholis Aristoteles, tum extra scholas duo præstantissimi et diversissimi philosophi, Cartesius et Hobbesius animos et sententias distrahebant : quorum doctrinæ, licet quadam affinitate consentiant, tamen majoribus etiam discriminibus merito separandæ sunt.

Hæc sunt inter utrumque communia : 1° ut auctoritatem magistrorum pariter rejiciant, præsertimque Aristotelicam ; 2° qualitates occultas una respuant et corpus nihil aliud esse ac extensionem asserant.

Ut in duobus philosophi nostri consentiunt, ita sunt duæ præcipuæ discriminum causæ.

1° Non corpus eodem modo ad extensionem reducunt. Corpora enim composita esse Hobbesius profitetur, quorum elementa sunt partes quædam individuæ et insecabiles, videlicet *atomi*. Cartesius contra corpora declarat modos tantum esse, et accidentia extensionis ; extensionem enim per se existere, et intelligi (quod est substantiæ definitio), nullamque esse revera extensione divisionem, nisi quæ mente ponatur. Hobbesius quidem pristinam epicureorum doctrinam renovat ; Cartesius nova proponit.

2° Ut Hobbesius formis substantialibus et qualitatibus occultis adversetur est unica causa, quod non sensibus occurrant. Quocirca, ut sibi consequens maneat, quidquid a sensibus remotum est, quidquid corpore caret, tanquam vacuum fantasiæ commentum a

---

maligne miscens, adversus Cartesii philosophiam in anno 1680 dissertationem immisit, P. Levallois auctore, qui ut theologicam Cartesii rationem, ita doctrinam illam inculparet quæ naturam corporis ad extensionem redigeret. Vid. Baylii hujus dissertationis refutationem. Opera, t. III.

philosophia expellit, Deum videlicet et animam, aut, quod non aliud est mea opinione ac omnino abolere, Deum et animam corporeas esse substantias censet. Cartesio autem tantum abest ut omnia corporea esse placeat, ut contra incertum videatur an sit quodquam corporibus, qualia cernimus et tangimus, simile. Primo mentem existere asserit, secundo Deum, et eum Deum qui corpore careat, in tertio tantum loco existentiam corporum habens, quasi sit utriusque consequentia.

Quarum doctrinarum hæc in Gallia, illa in Britannia præcipue inclaruit, et pro hujus ætatis in religionem reverentia pluribus sectatoribus Cartesii placuit quam Hobbesii doctrina.

Scholastici vero, qui tam obscuris, tam implicatis sententiis obvoluti jacebant, ad illam tam simplicem, tam dilucidam Cartesii philosophiam, tam rationi consentaneam, non subito transire poterant, nec Aristoteli Cartesius statim, nulloque interveniente, succedere. His partibus functa est illa quæ dicitur *renascens*. ut ipsa ætas, quam illustravit, philosophia. Quum enim philosophia libertatem affectare cœperit, antiquitatis primum præsidio innixa est : Divi Thomæ et Aristotelis auctoritatem recusans, nihil aliud sibi tutius credidit quam ad novam auctoritatem confugere, nunc Platonis, nunc Pythagoræ, nunc Zenonis, imo ipsius Aristotelis, aliter v ro ac fuerat antea, explicati. Tum Platonismum, Neoplatonismum, Pythagorismum, Stoicismum, prævalentibus autem Platone et Alexandrinis, renascentes cernimus. Qui quidem magistri fuerunt in quos juravere Marcilus Ficinus, Picus Mirandolus, Servetus, Giordanus Bruno : Mystici supra omnes exundabant : Cujus confusæ et indigestæ philosophiæ usque

in sequentem ætatem quædam vestigia remansere ; quæ quidem philosophia tum novo spiritu et quasi nova flamma, tum antiquo afflatu inspirata, nunc mystico furore ardet, nunc, ut Telesio, Campanella et Baco Verulamius naturam rerum observandam proclamat. Unus eorum apud quos in XVII° sæculo plurima anterioris ætatis vestigia remansere, Henricus Morus est, Cudwortho familiaris, a quo litteras ad Cartesium singulari ingenii sagacitate scriptas habemus : qui quidem, cum amicis, Thomasio Gale et Burneto, et aliis quibusdam, platonicum mysticismum in XVII° sæculo etiam colebant.

Jam, paulo postquam ederetur Cudworthi opus, philosophus quidam excellenti ingenio, nomineque illustris, Leibnitzius quidem, Cartesianæ doctrinæ instaurationem tentabat : cui quidem displicebat, quod Cartesius, præcipueque Malebranchius omnem agendi vim a creatis retraxerit, et extensionem tanquam corporum essentiam absolute declaraverit. Ille autem reformationem totius philosophiæ fundabat substantiæ notionis reformatione : substantiam enim δύναμιν aut ἐνέργειαν definire solebat, et quam vocamus materiam, aggregatum esse contendebat simplicium et essentialiter agentium substantiarum, quas Aristotelico more, ἐντελεχείας vocabat ; aut suo ipsius more, monadas.

Quem locum inter has omnes doctrinas Cudwortho habendum esse putamus? Quid inter eas et scriptoris nostri philosophiam intersit nunc dicendum.

Hoc primum animadvertimus Cudworthum philosophiæ scholasticæ omnino hostilem esse. Syllogistico enim artificio non abutitur, quum ne utatur quidem,

physicam peripateticam repudiat, a formis substantialibus, et quodlibet his simile nuncupatur, abhorret, præsertimque eam philosophiam celebrat, quæ corpusculis favet, et nihil in corporibus esse confitetur, Epicuri, Gassendi, Hobbesii exemplo, quod non aut ipsa extensio sit, aut ab extensione pendeat.

Physicam vero peripateticam cum lacessiverit Cudworthum, ut Cartesius et Hobbesius et cæteri philosophiæ principes, tamen neutrum eorum serviliter sequitur, et quamvis Cartesio magis quam Hobbesio faveat, tamen utrumque carpit, et nunc in atheismum hujus, nunc in *mecanismum* illius totis viribus et tota voluntate invehitur.

Primo enim adversus Hobbesium, ut jam diximus, quod cæterum non ad propositum nostrum attinet, animi existentiam, existentiam Dei, notionum recti et honesti æternam et immutabilem naturam defendit.

In Cartesium vero invehitur, quod, ut censebat, a natura intelligentiam et νοῦν amoverit, et principia tantum mathematica ad omnium rerum gubernationem, concordiam, pulchritudinem explicandam finxerit, quod res omnes in duo genera, hoc quidem extensorum, illud autem cogitantium, nullo loco vitalibus principiis, aut naturis plasticis relicto, omnino separaverit.

Qua quidem Hobbesii et Cartesii reprehensione, quum ambos increparet ut principiis tantum mathematicis usos, et vita naturam privantes, quum in locum horum mecanicorum principiorum naturam plasticam substitueret Cudworthus Leibnitzio præire videtur : intersunt tamen hos inter quædam discrimina, quæ notemus, necesse est.

1° Uterque enim Cartesii doctrinam reprehendit, Cudworthus quidem, quod illam atheismo favere, Leibnitzius vero, quod ad Spinosæ dogmata inclinasse censeat. Cudworthus autem hoc vulgariter Cartesio objectum iterum objicit, scilicet, Deum a mundo Cartesium amovisse, quod primo motu semel impresso, et motus legibus quibusdam primo impositis, inde, quidquid accidit, manare declaraverit, neque ultra Deum vocaverit, quum finales causas a contemplationibus physicis rejiciendas esse senserit. Non attendit Cudworthus ad doctrinam illam de creatione continuata, qua admissa, nihil tale adhuc objiciendum est, quum ille qui Deum perpetuo creare contendit, non Deum a mundo amovere merito dicatur. Vero autem multo propior erit, qui Cartesium insimulet quod nimium Deo naturæ immisceat, quam quod nimium ab ea averterit. A Cartesio ad Malebranchium quam ad Epicurum proclivior est via. Quod vero ut sensit Leibnitzius, in creationem continuam ut a Cartesianis explicatur, invehitur, id est secundarum causarum negationem, et naturæ ipsius, substantialiter existentis, et creatarum rerum, ut a principio priore distinctarum, negationem : hæc est enim totius doctrinæ conclusio. Nulla enim res vere existit, nisi quæ a cæteris rebus substantialiter distinguatur, nulla autem est vera distinctio, nullum verum substantiæ fundamentum, nisi facultas agendi : nihil igitur vero ab aliis distinctum quod omni potestate et munere efficaci destitutum habeatur. Quum hujus deductionis tenorem secutus sit Leibnitzius, principium, unde cætera derivant, id est, continuam creationem, omnibus carpit argumentis.

2° Hanc philosophiam, quæ corpusculis nititur, sec-

tatur Cudworthus, et atomos esse prædicat, non quidem, eos, quos Leibnitzius *substantiæ atomos* vocat, id est simplices et inextensas monadas, facultate agendi præditas, at *materiæ atomos*, id est extensas et insecabiles extensionis particulas. Leibnitzius autem docet ea, ex quibus res corporeæ existunt, elementa, non corpuscula esse (quantulacumque sint, quum nullius sit ponderis parvitudo), sed δύναμεις, ἐνεργείας, μόναδας (latino sermone penuria ad græcos confugere liceat), ita ut corporum elementa non sint corporea. Cudworthus noster naturas plasticas, extra materiam, corpusculis elementaribus præsidentes, et rerum τὸ εὖ καὶ καλῶς ordinantes, admittit, quibus Leibnitzius dicebat sese satis favere, nisi quod extra atomos secundum Cudworthi sententiam existant et extrinsecus materiæ elementa disponant; monades autem sint ipsæ res, ipsi atomi : corpora non extrinsecus vitam accipiant, sed per se et necessario vivant. Si Cudwortho credas, non omnes naturæ motus mecanice explicandi sunt : si Leibnitzio, nullus est motus nisi mecanicus, quanquam elementa, et, ut ita dicam, motus substrata, non mecanica sint, sed *dynamica*, id est ἐνεργείαν contineant. Denique, naturarum plasticarum idea quam maxime est vaga et obscura, de quibus incertum videtur utrum corpora an spiritus merito nominentur, utrum facultates an substantiæ, quæ quidem, etsi adversetur Cudworthus, non multum a formis substantialibus differant. Monades autem, a Leibnitzio nuncupatæ, perspicue intelliguntur, non quidem a fantasia, at certe a mente et ratione, simplices enim, ἐνεργεια præditæ, semper in conatum arrectæ, ad exemplar nostræ ipsius mentis concipiuntur.

Cudworthus denique non eorum est, qui nova reperiant, et qui insolito philosophandi genere, inventorum nomen inter philosophos mereantur, quales sunt apud veteres Plato et Aristoteles, Cartesius et Leibnitzius apud recentiores. Philosophum illum nostrum haud immerito dicemus, non sese ipsum sed Platonem aut Plotinum Cartesio opposuisse, Cartesium autem repudiasse, non tam, quod nova ipse tentaverit, quam quod Platonicam viam deserere recusaverit, et academicis hortis inhæserit. Quod ad plasticas naturas attinet, haud longe differunt ab archæis Paracelsi, a vitalibus principiis, et ab illa animarum et demonum multitudine, qua abundat mystica neo-platonicorum doctrina. Quo circa jure dixeris Cudworthum hujus doctrinæ ultimum interpretem esse, animum profecto et profundum Marsilii Ficini, Pici Mirandoli, et omnium qui in XVI° sæculo philosophiam platonicam illustraverunt successorum. Quos tamen, non sine prudentia sequitur. Non enim mysticus est, ut Henricus Morus, nam rationis jura in Hobbesium et in ipsum Cartesium defendit, et quod tam eloquenter in Protagoram a Platone disputatum erat, renovat. Quamvis, mea sententia XVI quam XVII propior, non tamen omnino a doctrinis suæ temporis alienus est, nec illaudabili temperamento. Cartesii et Platonis dogmata conciliavit, et recentem physicam pristinamque metaphysicam renovavit. Si cui in hoc tempore justum *eclectici* nomen imponeretur, huic imponendum censeo, quo sagacior nemo fuit et facilior in opinionibus conciliandis. Illi ingenium non sublime, at certe egregium, affuit, non profundum quidem, sed acre. Ab opere rectus quidam ordo non abest, Cartesii autem lucidum diligentemque ordinem

frustra requiras. Copiosa denique doctrina scriptor idem abundat, non ea vero quæ, quo rarius et opportunius adhibetur, eo valet magis, et plus roboris argumentis adjicit.

Ut igitur concludamus, Cudworthum dicemus,

1° A scholastica philosophia dissentire, quum atomisticæ physicæ adhæreat.

2° Ab Hobbesio, quum mentem a corpore separatum, Deum sapientem rebus nostris providentem et consulentem, denique æternas et immutabiles recti et honesti notiones defendat.

3° A Cartesio, quum invehatur in mecanica et mathematica principia, vitamque aliquam Deum inter et materiam introducat.

4° A Leibnitzio, quum naturam plasticam tanquam a rebus extrinsecam consideret.

5° Denique a neoplatonicis, quum a Cartesio mutuetur, quid de ratione et veritate sentiat, neque illo cognitionis genere utatur, quod ultra rationem est, videlicet *extasin*, aut quocumque nomine appelles, mysticismumque omnino repudiaverit.

Quamobrem hanc dicas :

1° Platonicum esse, non mysticum.

2° Atomisticum, non epicureum.

3° Animatæ naturæ defensorem, non stratonicum.

Deum, Vitam, Atomos una admisisse, et mixtione quadam mirabili, solertissima vero temperatione, in unum conciliasse.

FINIS.

Parisiis. — Ex typis E. Thunot et Cie, via Racine, 28.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. V kal. aug. ann. MDCCCXLVIII,

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLE,

Rectoris, vices-gerens.